



00 d-

U.a. 5





Nr. 6. med. V. 4 ta  
~~25.~~

15

SCIAGRAPHIA  
PRISCAE  
**HISTORIÆ  
GRÆCÆ,**  
AD NORMAM  
*SCRIPTURÆ SACRÆ, SANAEQUE RATIONIS,*  
**OPTIMORUM AUCTORUM**  
DUCTU,  
**EX INFINITIS ERRORUM FABULARUMQVE TENEBRIS,**  
**IN APERTAM VERITATIS LUCEM,**  
REDUCENDÆ,  
ACTUI ORATORIO,  
*d. 7. Mart. An. 1709. habendo, Program-  
matis instar præmissa,*  
<sup>A</sup>  
**CASP. ABEL, R. Sch. Joh. Halberst.**

---

HALBERSTADI,  
*Typis JO. ERASM. HYNITZSCH, REG. BORUSS. Typogr.*

15

*Pausan. in Arcadic.*

Sunt sane Græcorum scripta, cum in cæteris, tum  
in iis maxime, quæ ad gentilitates pertinent, in-  
ter se dissidentia.

*Id. in Corinth.*

Non ignorant, qui res veteres Argivorum in com-  
mentarios retulerunt, non omnia se ad Historiæ  
fidem commemorare, vulgatae tamen opinioni,  
â qua dissidere nefas putant, serviunt.

*Diodorus de Argonaut.*

Dissentient sane Græci in priscis rebus recensendis, ut  
haud mirandum sit, si quis veteris Historiæ au-  
tor â poetis reliquisque scriptoribus quandoque  
discrepet.

*Strabo l. 8.*

Ita audiendæ sunt antiquæ Historiæ, ut eas minime  
inter se consonare cognoscamus; Juniores enim  
multa de suo addiderunt, ita ut fæpe contraria  
referantur.

†



§. I.

**C**um hodie argutæ Græcorum  
Fabulæ multorum passim (a) industriam  
exerceant, mihi quoque, ut opinor, in illis  
exponendis, & cum veritate Historica re-  
conciliandis, vires ingenii mei periclitari  
licebit; quod tamen cum majorem operam postulet,  
certe prolixiorum, quam ut hujus cartæ angustia ei  
sufficiat, hic tantum sententiam meam, de universo  
illo Historiæ Græcæ tempore, quod vulgo Mythicum  
vocant, breviter & quasi in compendio proponere, u-  
beriorem vero ejus tractationem in aliam commodi-  
orem decrevi reservare occasionem.

(a) Bochartum, Marshamum, Pezronium, Clericum, Lœ-  
scherum, aliosque citare possem, quibus forsitan Dn.  
Hardt brevi accedit, cuius promissas Fabularum  
Græcarum explicationes avidissime expectamus.

A 2

Nemi-

## §. II.

Neminem autem hoc in controversiam vocaturum arbitror, Javanem (i. Jonem, Japeti filium, Græcorum primarium conditorem fuisse; à quo *Jaones*, *Jones*, *Aones*, *Chones*, *Chones*, & *Hyanes* dicti videntur; quamvis ipse forsitan in Europam non transierit, sed in ea Asiae Minoris regione sedes suas habuerit quæ nomen *Meonie*, & *Jonie*, ab ipso acceptum, omnium constans retinuit, etiam cum alii hoc tanquam obsoleturn aspernarentur. Quid vero hoc vocabulum *Javan* proprie sibi voluerit, (b) nos quidem ut incomptum in medio relinquimus; Veteres tamen illud à πν luto, derivasse, vel inde quis colligere posset, quod vetustissimos Græciæ incolas, Javanisque adeo posteros, etiam *Titanes*, à πν, itidem luto, (Pf. 40.3.) appellare consueverint, unde quoque eos γιγαντας, γηγενεις, πιλογονας & αυτοχθonas vocatos, nemini literarum Græcarum non plane rudi obscurum esse potest.

(b) ignoramus etiam adhuc, quam appellatio *Græcorum* originem habuerit, quæ ipsi quidem Græci interdum, at rarius, Latini vero scriptores frequentissime usi sunt, & ab iis ad nos quoque devenit.

## §. III.

Javanem porro quatuor filios habuisse, *Elisam*, *Tarsin*, *Kithim* & *Dodanum*, ē sacro Codice discimus, quorum mediæ Hispaniam tandem & Italiam coloniis suis occuparunt, ideoque admodum probabile est, eos primos in hanc nostram Europam transgressos, inquit *Gracia*

¶ 3 ( ¶ )

Græcia aliquamdiu substitisse, ubi Pelasgi (c) cognominati fuerint, (vel ἀ μέ separatione, propter parentes & agnatos, in Asia derelictos, veletiam Δυτικῶν πελαγῶν, à ciconiis, propter immane peregrinandi studium, ) nonnullasque in eā civitates extruxerint, σικυονεῖς Σικυόνιοι & Τύρυνθαι & Mycenēς, quārum nempe mœnia à Gigantibus ædificata ferebantur.

(c) Pelasgos antiquissimos Græciæ incolas fuisse in confessio est: adventus eorum rectissime ad Sec. III. post diluv. refertur, quo nempe Sicyonii regni primordia ponuntur: ab iis tota Peloponnesus Pelasgia appellata: iidem vero in Italia Tyrrhenorum nomen adsciverunt, seu potius ab Auctore suo Tarsi acceptum retinuerunt, ut etiam Maceta s. Macedones Kitthiorum memoriam in Græcia conservarunt.

§. IV.

Proximi his Leleges fuere, Nomadum instar vagi, & ex variis Javanidarum familiis, in Asia adhuc residentibus, præcipue vero Dodanis s. Doriensum (d) collecti, unde etiam nomen suum, quasi λελεγμενος, vel ἀ τῇ, virentibus pascuis, quæ secebantur, vel deinde ἀ τῇ, mutua adhortatione, qua quisque suum suum ad iter incitabat, accepisse videntur.

(d) convenas hosce ē Caria potissimum genus suum duxisse, ipsi Græci testantur, hanc autem regionem Doriensum quoque patriam fuisse, alibi docebimus.

§. V.

Hos tandem Hellenes insecuri, Eliæ posteri, & ab eo non secus ac Etei, Aeoles, Etefintii, Helitiæ, Helli, &c.

A 3

deno-

denominati; Hellespontum illi primo accoluerant, mox eo superato Macedoniz & Theffaliæ se infuderunt, (e) & hujus etiam pars aliqua præ cæteris olim *Hellas* dicta, postea vero quam Hellenes tota Græcia, potiti sunt, nihil mirum est, hunc quoque titulum cum ea communicatum fuisse.

(e) quemadmodum ego Diluvium Ogygium Sec. p. Dil. V. ad Leleges, ita Deucalioneum, Sec. p. D. II X. ad Helenas, eorumque demigrationem in Græciam pertinere, ambasque gentes Magni illius & generalis Diluvii memoriam, apud Pelasgos jam vetustate prorufus oblitteratam, his Seculis ex Asia denuo secum attulisse, inde vero posteros eorum novi erroris ansam arripuisse reor.

## §. VI.

Ethi fere fuerunt populi, quibuscum Phœnices & *Ægyptii*, ex Oriente navibus advecti, magnum illud atroxque bellum gesserunt, quod Poëtæ, ob rationes jam ante memoratas, *Titanicum* & *Giganteum* nominare amant (f) cuius tamen originem, variasque fortunæ vices, paulo fusius exsequi, operæ forte premium, nec lectori benevolo injucundum fuerit.

(f) nos itaque Clerico non adstipulamur, qui ipsos Græcos primis statim post Diluvium Seculis hoc bello inter se conflixisse arbitratur, multoque minus Pezronio, & Rudbekio, qui istum qualemcumque horum Gallis suis, Suecisque, vindicare mituntur.

## §. VII.

Et illos quidem, qui de Phœnicum primis, in omnes Europæ, imo totius orbis oras, institutis navigacionibus, plura nosse desiderant, ad Bochartum ablego, qui de illis integrum librum conscripsit; nobis hic suffit.

¶ 7 ( ¶ )

sufficere poterit, eos non solum plerasque insulas Maris Hægæi (ab מִזְרָחַ הַיָּם insulis gentium Gen. 10. 5. dicti,) infedisle, sed postea quoque terram continentem tentasse, Græcisque tandem ope Hægyptiorum debellatis, multorum regnorum fundamenta posuisse, quibus Europæi simplices, suaque forte contenti, hucusque caruerant. (g)

(g) commentitius enim atque fictus est ille Regum Sicyoniorum catalogus, quem nonnulli Chronologi tam magnifice ostentant; nec prima familia Regum Argivorum firmiori stat talo; quam tamen nos, non ut alii fecere / plane rejiciemus, sed potius illam in ordinem redigere, nostraque sententia, quoad eius fieri poterit, adjungere studebimus.

### §. IX.

Phœnices autem, ut Bochartus egregie advertit, quasi בֶּן־עֲנָק filii Enak, contracto paululum nomine עֲנָקָה dicti; quos nempe Heroes, procera suâ statuра, immensoque robore conspicuos, ubique terrarum secum duxerint, eosque expeditionum suarum duces comitesq; habuerint, unde ipsa quoque Carthago apud Plautum פְּרָנָה sedes Anacum audiat. Quis igitur rebus ita comparatis non facile sibi persuaderi patiatur, eorum etiam aliquos in Græciam venisse, & ibi quoque, ob majestatem corporis, animique magnitudinem, multum in imperiis magistratibusq; verfatos fuisse? Certe non *Anacum* modo Lelegum Samique Regem, & *Anatæm* Miletii conditorem, à quo illa Anactoria olim vocata, Bochartus istis annumerat, sed Clericus quoque cum Tanaquillo Fabro Inachum

¶ ) i ( ¶

chum inter eos refert ; quibus & ego non invitus af-  
fentior ; quippe antiquissimum hunc & sine contro-  
versia omnium primum Græcia Regem, non alienum  
ab illis, (Ancæo & Anaste,) sed eundem plane fuisse  
judico, & illum ipsum forte Enakum, quem sacræ lite-  
ræ celebrant ; qui paulo ante tempora Mosis, (ejus e-  
nīm ævo Inachum vixisse, omnes fere primæ Ecclesiæ  
patres, & plures quoque Ethnicorum, uno ore adse-  
verant,) cum Phœnicibus in Græciam abierit, Lele-  
gesque primum, insulas habitantes , sibi subjecerit,  
mox vero utramque continentis oram dominio suo  
complexus sit, & in utraque urbes struxerit . Ana-  
ctoriam quidem de suo nomine in Asia Minor, in Eu-  
ropa vero Arbon , in honorem patris sui Arbæ, quam  
tamen Græci post modo, B more Æolico in G mutato  
(uti περστης περγυς, Βλεφαρον γλεφαρον, Βρ-  
ιος, γρινος &c.) Argon (h) appellasse videntur ;  
quamvis tamen colonia ab hujus urbis civibus in Ita-  
liam deducta , genuinum nomen Arbos s. Arpos sola  
retinuerit.

(h) plura hujus nominis oppida fuere , varis tamen epi-  
thesis distincta : Hoc enim quod Inachus in Pelo-  
poneso instituit, Inachium, & ob aquæ penuriam Di-  
psium dicebatur ; à quo non longe aberat, Achaicum  
s. Iasum, commodiori loco à Phoronéo s. Danao, ejus  
successore, ad amnem Inachum conditum ; Amphi-  
lochium erat in Epiro ; Pelasgium in Thessalia ; O-  
resticum in littore Ponti Euxini ; & tandem prædi-  
ctum Arpos s. Argos Italicum , cui procul dubio Ar-  
pinum quoque Ciceronis patria originem suam de-  
buit.

Eodem

§. IX.

Eodem tempore, aut non multo post, **DANAUS** ex Aegypto in Græciam venit. Fuerat ille inferioris Aegypti Rex, ejusque potissimum regionis, quam, e multis insulis conflatam, Nilus brachiis suis amplectitur, quamque Græci postea, à triangulari sua forma literæ Δ assimularunt, ipsique incolæ, non alia certe de causa, Ribi s. Rahab, (Ps. 87.4. &c.) id est pyrum,, olim vero, cum adhuc latius pateret, Caphthor, malum Punicum appellasse videntur; Et hæc procul dubio illa mystica ratio fuit, ob quam Jovis Casii simulacrum, quod Pelusii, & in templo Montis Casii, nempe in יק finibus hujus regionis exstithit, Achille Tatio teste, Malum tale extensa manu tenuisse fertur. Novi quidem Bochartum, LXX. aliasque interpretes secutum, maluisse hoc nomen Cappadociæ tribuere, sed & ipse factetur, Arabem, Benjaminem, autoremque libri Juchasin, ejus loco Damiatam posuisse, quibuscum etiam Lightfotus consentit, pluribusque ē Talmude de promis exemplis satis superque ostendit, veteres Judæos, quamvis Caphtor propter quandam soni convenientiam cum Cappadocia confuderint, nequaquam tamen illam Asiaticam, sed hanc potius Damiatæ vicinam Aegyptiaci littoris oram, ante oculos habuisse. Et sane si quis omnes circumstantias, omniaque scripturæ loca de Caphtoræis agentia, probe considerarit, nullo pacto Bocharti sententiæ subscribere poterit: Nostrum tamen non est, ejus aut aliorum famæ aliquid detrahere: Revertimur itaque ad Danaum, quem nos uti jam dictum, Aegypto inferiori imperasse, ultimumque ē

B

fami-

Familia Ramessica Regum Taniticorum, Israelitis admodum faventium (Gen. 47. II.) arbitramur fuisse, qui non sine singulari ope summi Numinis, (Amos. 9. v. 7.) cum magna suorum parte cruentas manus regis istius alieni (Exod. 1.8.) hoc regnum destruerint, evaserit, teque ad agnatos suos Palæstinos, à Casluchæs nempe æque oriundos, (Gen. 10. 14.) receperit, ubi Ayæs ad internectionem deletis, (Deut. 2. 23.) circa Gazam aliquot annos hæserit, tandem vero, ne ibi quidem se in tuto versari animadvertis, Phœnicibus viam monstrantibus, in Græciam concesserit, nonnullis tamen suorum Gazæ relictis, unde etiam hujus urbis incolæ, reliquæ insularum Caphthor (Jerem. 47. 4.) nominantur. Nonne hæc omnia sic satis bene cohærent, multoque melius, quam si Caphthoræos primo in ultimam Cappadociæ provinciam Sidenem ex Ægypto abducere, eosque postea, nulla suadente ratione, à monte Caucaso denuo in Palæstinam, quin ad ipsum Sirbonis lacum revocare studeamus? Nos autem facile patimur unum quemque suo (quod ajunt) sensu abundare. Interim hujus rei memoriam non plane apud Judæos interiisse, liber Juchasin indicio est, cuius auctor, quasi ex mente Arabum, Misraimum, primum Ægypti regem, duos refert successores habuisse, Cobtim, & Caphthorim, postea vero regnum à filiis Caphthorim ad filios Cobtim translatum fuisse. Quid clarius quam Ægyptum olim universam inter Cophotos & Caphthoræos divisam, hos autem postea ab illis subjugatos fuisse? Illi nempe initio superiorem Ægyptum & Thebaida, s. terram Pathros, quæ propterea Ezech.

Ezech. 29. 14. patria Aegyptiorum vocatur, hi vero inferiorem, insulasque Caphthor tenuerunt, donec hi ab istis subacti, aut expulsi sunt (i). Cæterum vel à Cophtis, vel etiam quod magis arridet, à Caphthoræis, nomen Aegypti apud Græcos ortum videtur; scilicet ex אֶgyptָה in Iulius Capthor, patria eorum, formatum, R finali neglecto, aut in S converso, qua etiam ratione ex Gadir Gades factum est, ut alia exempla omitram, quorum sane non pauca ex ipso Bocharto adducere possem,

(i) Cum nempe Rex Thebaidos, Aegyptique superioris, paulo ante Mosis nativitatem Regnum Pastorum s. Taniticum in inferiori Aegypto evertit, Israelitasque postea durissima servitute presit, quod non opus erit multis denuo probatum ire argumentis, cum nos hoc jam alibi fecisse meminerimus.

## §. X.

Ipsum autem profugum Regem Græci multis, onerant magis quam honorarunt. nomiibus. Eum enim nonnulli Phoroneum, à titulo regio Pharaonis, in sacra Scriptura notissimo; plures Danaum, à sede antiqua Tani s. Zoane in Aegypto; alii Jasum, à sede nova in Jade s. Jonia; pauci vero eum nativo, ut ita dicam, nomine, Acrisium vocarunt, eoque Aegyptiacum Conchares s. Achoreus, quod in laterculo Regum Taniticorum haber, non male expresterunt; quæ tamen omnia si recte conjungantur, satis accuratam nobis hujus Regis descriptionem suppeditant, Regis inquam Acrisi, Pharaonis olim Tanitici, postea Jonici. Tempus quidem illud dilucidius expedire non permittit; hoc interim

certo persualus sum, neminem historiæ Mythicæ perfidum, mentemque à præjudiciis liberam habentem, hanc meam sententiam (k) iniquiori censura notaturum, præsertim cum non ovum ovo similius sit, ac Phoroneus Danao, & Acrisio Iaſus. Comparentur modo inter ſe, patria, parentes, liberi, generi, nepotes, agnati, ſuccelforesque eorum, nec non belli pacisque opera, tunc liquido apparebit, unum tantum regem ſub diuersis hiſce nominibus latere.

(k) mens mea, uti jam ante indicavi, hæc eſt, familiam primam Argivorum Regum, ab otiosis hominibus nimiamque Antiquitatem patriæ ſuæ arrogantibus, & ſecundâ concinnatam, ad eamque reducendam eſſe, quod & videor præſtare poſſe, modo res meæ ferrent huic negotio diutius immorari.

### §. XI.

Memorant autem hunc Regem navibus actuaris, quarum uſum priuus ostendiffe dicitur, in Insulam Rhodum appuliffe, ex ea vero ob ingruentem pestem in Græciā profectum, Pelasgos ſibi Argivosque priori eorum Rege profligato, ſubjeciffē. Cæterum quis ille Rex fuerit, non convenit inter scriptores, neque nos discrepantes eorum opinione, colligemus, fed rem potius ipsam, veritatemque ſpectabimus; Hoc enim ſole meridiano clarius eſt, illum, quem Danai fratrem vocant, quemque ab iſto, poſt ferale bellum, in Græcia quoque geſtum, tandem in fugam coniectam ſcribunt, non fuſſe eundem regem, qui eum antea Egypto exterminarat. Quis ergo? non aliud ſane quam Inachus,

Inachus, quem Græci propterea pro fratre ejus habuisse videntur, quia itidem ex Oriente advenerat. Hic autem, ut diximus, jam ante Danaum Græciæ partem occuparat, inque ea ipsa regione, in quam Danaus ex-  
cisionem tecisse perhibetur, non procul a littore oppidulum quoddam posuerat. Cum illo itaque credide-  
rim Danaum primo societatem iniisse, conjunctisque viribus Pelasgos, vetustissimos Peloponnesi incolas, superasse; mox vero ipsos ambitionis oestro percitos, de  
hâc quoque præstantissima Peninsula inter se digladiatos, Inachumque demum, multis suorum amissis, ea-  
decedere coactum: At regnum contra Danai tanta in-  
crementa cepisse, ut imperio Pelasgorum (quos de  
suo populique sui nomine Danaos appellari jussérat,) non contentus, Hellenes quoque superiores Græciæ provincias Thessaliam & Macedoniā possidentes, ag-  
gredi non dubitarit: Et hoc alterum illud, priorique  
multo gravius bellum fuisse puto, quod Danaus hic  
cum Titanibus istis gesserit, in quo tamen procul du-  
bio succubuisset, nisi insperatum ipsi aliunde auxilium  
venisset, victoriamque hostibus pene de manibus ex-  
torsisset. (1)

(1) Pallene dicebatur uterque locus, ubi Titanes à Diis vi-  
eti, quorum alter in Peloponneso, & alter in Macedo-  
nia erat; nomen accepisse videntur פָּלָנֵן miraculis,  
qua ibi contigerint: notandum vero istas pugnas, uti  
locorum, ita longo quoq; multorum annorum intervallo  
disjungendas esse, & Danaum aliquando in monte  
Thessaliæ Othry ab hostibus suis circumfessum, inque  
maximas angustias adductum fuisse.

Hujus quidem victoriæ gloriā, alii Jovi, alii vero Herculi vindicant, nos tamen hunc ab illo cogitatione, magis quam re separari, unumquę tantum duobus istis nominibus non sane Deum, sed miserum imo improbum hominem, designari arbitramur, & quidem ut compendium verborum faciamus, mœchum illum, raptoremque puellarum famosissimum, qui stupris sceleribusque suis totum fere orbem terrarum inquinavit, nec minus tamen ab insana Ethnicorum turba, multis post seculis, maximis, unique summo Numini debitissimis honoribus affectus, venerandoque illo Jovis nomine ornatus fuit; quod æque ac *Zevs*, (*Aëolica* Dialecto pro *Ieus*) à sanctissimo illo & ineffabili nō derivatum, à Danaisque, Hebræorum olim in Ægypto amicis & convictoribus, in Græciam perlatum fuisse, res ipsa indicare videtur. Inveniat autem hic nebulo apud veteres digniores facinoribus suis titulos, si verum est, quod Clericus affirmat, *Znūl. Zav*, antiquissimum ejus cognomen, idem esse quod ut *scortator*: Et quis mihi vitio vertere posset, si alterum quoq; *Auγγεvs*, quod in serie Regum Argivorum ceu Danai gener obtinuit, à *ηνη*, concubinus, deductum esse, contendere? Proprium vero ipsius si quis cognoscere velit nomen, illud *Assis* s. *Aseth* fuisse autumno, quod Græci postea linguae suæ accommodarint, & inde suum *Asterius* formarint; ita enim ille Jupiter vocatur, qui Europam regis Sidonii filiam, ex Phœnicia abripuisse, inq; Cretam suam deportasse fertur. Pausanias eum *Anatis* filium facit, & meo quidem judicio, recte. Animum

mum enim induxi, eum (m) cum fratribus Plutone & Neptuno, ad tres illos Enaci filios Sesain, Thalmain, & Ahimanem, pertinuisse, quos sacra scriptura non uno loco memorat, quique à Judæis patria sua Hebreo ne pulsi, novas procul dubio coacti sunt alibi sedes querere. Et de cæteris quidem nihil habeo quod dicam, quas illi oras petierint, nisi forte alter Libyam, alter vero Hispaniam sibi sumserit, quod tamen jam non vacat disquirere; Sesain autem seu Assin (transpositis literis vel N præfixo more Arabum) cum Curetibus s. Cretæis ex urbe Palæstinæ Gaza ipsū fecutis, (conf. Ezech. 25.16. Soph. 2.5. &c.) Cretam insulam, ab ipsorum postea nomine dictam, invasisse, inque ea regni sui sedem collocasse; mox vero reliquis quoque maris Ægæi insulis, quas pater ipsius ante tenuerat, & tandem ipso quoque Argivorum regno, totâq; adeo Græcia, potum fuisse opinor.

(m) Fabulam istam de Saturno, tribusq; ejus filiis, vulgo de Adamo aut Noacho, eorumq; liberis, interpretari solent, qvod nobis qvoq; non displicet, qvippe Græcorum consuetudinem non ignoramus, ad diversas simul Historias alludendi. Eos tamen propius ad verum accedere putamus, qvi de certo qvodom Græcia Rege hic potissimum sermonem esse persuasum habent. Nosq; non veremur sane hoc pro certe tradere, ipsum qvoq; illum Deorum parentem Uranum s. Cœlum, à recentioribus Græcorum Mythologis ad exemplar antiquissimi sui regis Inachi effatum, Danao vero Saturni personam impositam fuisse.

## §. XIII.

Unicam enim Danaus tantum habuit Filiam, quam-

vis

vis Poetæ quinquaginta ipsi tribuerint, & de iis more  
 suo multa absonta commenti sint, immemores veteris  
 istius proverbii, mendacem debere memorem esse.  
 At tamen unica hæc filia multis quoque nominibus in-  
 claruit. Aliis enim Niobe vocatur, & brevius Jo, aliis  
 autem à parente, Danae, & ab insigni fide conjugali, Hy-  
 permnestra; quam scilicet sponsa suo Jovi s. Lyngœ  
 præstitisse narratur, qui eam invito admotum patre-  
 ejus uxorem duxerat. Danaus enim ægerrime illud  
 tulisse fertur, & hujus quidem indignationis præcipua  
 causa fuisse videtur, quod sibi à genero suo periculum-  
 metuebat, à cuius nempe genitore Inacho olim se gra-  
 viissime dissensisse norat, adeoq; non injuria verebatur,  
 ne filius ejus aliquando par pari referret, regiamq; sibi  
 adhuc vivo præriperet dignitatem: Plusq; adeo apud  
 eum valuit veteris offendæ quam recentis beneficii me-  
 moria; siquidem iste Jupiter paulo ante fidelem ei in-  
 bello Titanico fortiter navarat operam, (n) maximam-  
 que sibi ex eare bene gesta apud omnes Danai copias  
 compararat auctoritatem, unde quoque facillimum-  
 ipsi factu fuit, Regem hunc invidum, & à quo nihil æ-  
 qui impetrare poterat, qui etiam conjugem ipsius fili-  
 amque suam immerentem in vincula conjecterat, thro-  
 no deturbare, & in extrema fere lenecta denuo in exili-  
 um ejicere; qui vero num ad ultimum tota Græcia ex-  
 cesserit, & in Italianam confugerit, quod de Saturno me-  
 moriæ prodiderunt, nobis adhuc inexploratum est.

(n) Dixi supra Jovem ab Hercule non esse distinguendum,  
 ejus tamen rationem reddere oblitus sum, qvod nunc  
 faciam. Clericus itaque hanc vocem Hercules ab  
 דָּרוֹן deductam, mercatoribus Phœniciis compe-  
 tere

tere putat, qvi omnes Maris Mediterranei oras perlustrantes, isto suo nomine omnibus gentibus, qvibus cum conflictabantur, innotuerint: Ego vero Anaeos potius, qvi Mercatoribus ipsis defensores aderant, ab Europæis nationibus hoc titulo designatos fuisse reor, ejusqve forte radicem in Celtica lingva, antiquæ Græcorum affini, qværendam: Nimirum voculam Räke s. Recur majoribus nostris gigantem significasse constat, cuius Diminutivum (uti vocant) Räkel adhuc hodie in usu est, qvod tamen nunc in convicuum degeneravit, hominemqve, viribus quidem & corpore validum atqve magnum, animo vero & moribus parvum & deficientem, imo propter enor-mem pigritiam ad nullum fere laborem aptum, denotat. Quid si nomen Herculis, aut Heraklis, qvemadmodum Græci illud pronunciabant, hoc fonte derivatum dixero? Auditum admissi, risum teneatis Amici: Non enim hic nos ludimus, lectio isqve risum captamus, sed serio rem agimus. Præfigatur modo literæ R. initiali Spiritus densus H, qvod olim omnes fere gentes, & Germani potissimum, ob asperitatem toni, facere solebant, e. g. Hrolvitha, Hra-disch &c. tunc nullo fane negotio ex Räke GRäkel fiet HRakel, Heracles, & si porro ultimum R in voce Recur ob Euphoniam in I mutetur, cuius etiam mo-ris qvamplurima exempla in promtu sunt, tunc habebimus ipsissimum HRecul, Hercules. Non ego quidem hanc mordicus tenere constitui nominis ipsis expositionem, sed si melius occurrat, ipse pri-mus eam calculo meo condemnabo. Interim tamen hoc mihi certum atque compertum est, non unum hominem, sed plures, (Varro XLIV. nominat,) omnes-qve adeo eos Enaci posteros, qvi præ ceteris eminuerunt, giganteo hoc Epitheto à Græcis exornatos fuisse. De cetero hoc unum adhuc addam, audito-

C

rem

rem libide origine Gentis Romanæ sententiam nostram non parum confirmare, quippe qui Recaranum quendam (en nostrarum Recar) primum Herculem appellatum, quod viribus, forma & virtute aliis antecellerat, ex Cass. I. Pontifical prodidit. vid. Cellarii s. Fabri Thesaur.

## §. XIV.

Jupiter aurem fugato socero totius Græciæ imperium adeptus, in Creta tandem diem suum obiit, ibique sepultus est. Filii vero ejus, quos complures, è multis tamen uxoribus atque pellicibus, reliquerat, luculentam hanc hæreditatem adierunt. Et Europa quidem Sidonia geniti, Minos Cretam, Rhadamantus Cycladas, Sarpedon Lyciam accepit: contra Aethilius s. Ethalion, & Arcas magnam Peloponnesi partem inter se diviserunt, alter Elidis & Achaiæ, alter vero Arcadiæ Rex factus, diversis tamen matribus pregnati, ille Protogenia, Deucalionis, hic Calisto, Lycaonis filia. Suscepserat etiam è Danai nata sobolem, unicum nempe filium, Apin s. Epaphum, qui Abas quoq; & Phorbias nominatur, voce è duabus (Pharao Abas) contraria: Hunc autem cum matre in Ægyptum remiserat, ut regnum hoc, jure ipsi debitum, armis recuperaret; Et hujus longinquæ expeditionis causa, idem, Perseus, Peraeus, Priasus, & Peranthus, non uti Clericus putat, αντει equitando, sed Διατάπεξασται, a transfretando, dictus fuit. Cæterum hoc ei iter initio ex sententia successisse videbatur. Cephenibus enim s. Cophthis devictis, regnum Pastorum (o) in inferiori Ægypto instauravit, Memphimque & alias urbes

bes condidit, aut m̄enibus cinxit: Nihilosecius tamen vivo adhuc parente perii, ab inimicis suis in venatione ex insidiis trucidatus, quia potestate sua abuti volebat. An pater mortem illius ultus sit, nos quidem nescimus, hoc autem traditur, totam Peloponnesum in ejus honorem Apiam vocatam.

(o) Pastorum ille Gr̄corum Dynastiam restituit aut fundavit, de qua tamen nihil certi habemus, nisi quod Pastoribus Phoeniciis subjungenda sit. Itaque cum alibi jam tres priores istorum Pastorum Hebr̄eis vindicaverimus, & primum Salathin, Josephum, alterum Bæonem s. Bnonem, Benjaminum, & tertium Apachnsum, Ephraimum suisse, demonstraverimus, poterimus etiam nunc tres reliquos commodissimā hāc ratione interpretari, ordine eo, quem apud Africanum comprehendimus, servato, ut Talias s. Staan, (quem Manetho Janian vocat,) Danaum, Aſſis s. Aſeth, (Africano Archles i. e. Hercules,) Asterium, & Apophis demum Epaphum, ejusque memoriam reperfentet. An vero hic noster successores, & quos habuerit, altioris res indaginis est, de qua tamen non opus erit plura hic incassum verba facere, cum non ad Gr̄cam, sed ad Ægyptiacam proprie pertineat Historiam.

### §. XV.

Jovi igitur vita functo in Argivo Regno Argus successisse dicitur, qui tamen num frater aut filius Epaphi, & qua porro matre natus fuerit, supervacaneum esset examissim disputare; Gr̄ci enim ipsi de ea re non consernint. (p) Creditur autem Argon condidisse, quod tamen si verum, de sola inferiori urbe intelligendum

dum erit; siquidem superior f. arx ipsum Phoroneum  
 f. Danaum auctorem habuisse, & ab eo Phoronicum.  
 f. Larissa fertur appellata fuisse; cuius duplicitis appella-  
 tionis, prioris quidem ratio est manifesta, posterio-  
 rem autem me ignorare profiteor; quamvis enim  
 plures ejus nominis urbes fuerint, duæ videlicet in  
 Thessalia, duæ quoque in Asia Minor, quarum altera  
 Ægyptiaca cognominata fuit, credo tamen eas omnes  
 hac recentiores, & illius forte colonias fuisse. Sed præ-  
 ter eas arcem quoque adhuc hodie ejus nominis in con-  
 finiis Ægypti & Palæstina reperio, quam si Danai æ-  
 vo jam extitisse, eiq; ex Ægypto pulso sedem aliquam-  
 diu præbuuisse, demonstrare possem, res omnis in va-  
 do esset: Plinius quidem eam Græcis Arabiae oppidis  
 annumerat, verum an hâc in parte fidem mereatur a-  
 lii viderint: Eodem certe jure possit quis, Græcos fe-  
 cutus fabulatores, a Pelasgi, vel filio Lari, vel filia La-  
 rissa, omnium harum urbium nomen & originem re-  
 petere.

(p) Aliis enim est Jovis & Niobes filius, aliis qvoque Pe-  
 ranthi & Callirhoes, vel Danai, vel Agenoris, vel  
 denique Aristoris & Mycenes Phoronei sororis, ut  
 plures omittam inceptorum Genealogorum opinio-  
 nes. Nec sane urbs Argos ab eo nomen suum acce-  
 pit, uti Græci somniarunt, sed vel a patre Inachi Ar-  
 ba, ejusqve sede Hebron f. Kiriath-Arba, vel etiam,  
 (si cui hæc nostra, jam § 8. proposita sententia, minus  
 verisimilis fiat,) ab altera ejusdem urbe in Palæstina,  
 Debira f. Kiriath Sepher, quam Chaldæi Kiriath-Ar-  
 che, urbem Archivorum appellant. Ideoqve hic Ar-  
 gus fortasse plane confictus, aut idem ille Arcas fuerit,  
 quem

qvem paragrapho superiori memoravimus, tuto remo-  
do liberorum Epaphi, qvorum tres nobis in Græcia  
reliqvisse videtur, Triopam s. Proitum, (transpositis  
litteris,) Argivorum, Cynurum s. Cynortam, Lace-  
dæmoniorum, & Epopeum Sicyoniorum atque Co-  
rinthiorum Regem.

## §. XVI.

At nos Argivorum res aliquantisper seponemus, &  
ad Athenienses interea progrediemur, cum istis, teste  
Pausania, de primatu antiquitatis certantes, qua ta-  
men lite facile supersedere potuissent; cum nostra sen-  
tentia Athenarum conditor Cecrops, non ante, nec  
post Danaum, sed simul cum eo in Græciam venerit.  
Non enim hic Rex solus Ægypto excessit, sed eum  
multi suorum, virique adeo principes, comitati sunt;  
& hæc sine dubio causa fuit, quamobrem non solum  
Argos & Athenæ, sed (q) Troezeno quoque & Megara  
Ægyptiacam originem jactarunt. Quod autem speci-  
atim ad Cecropem hunc attinet, memoriae proditum  
est, eum Sain, Ægypti inferioris urbem Minervæ dica-  
tam, (quæ ne r̄ pe Ægyptis secundum Pausaniam Sais  
secundum Platonem vero Neith dicta) patriam habu-  
isse, novamque propterea urbem, quam in Græcia stru-  
xerit, istius Deæ nomine Athenas appellasse. An hoc  
ita se habeat, doctioribus lingua&q; Ægyptiorum anti-  
quæ peritioribus dijudicandum relinquo, existimo ta-  
men Cecropem etiam ad Athenas Arabæ Petræa ur-  
bem, cuius Plinius meminit, respicere potuisse; hæc  
vero num sua lingua Etham vel Ethan, dicta fuerit, ne-  
scimus; Istius mentio fit Num 33, 6, & alibi, hujus ve-

eo etiam in sacro codice aliquoties, sensu tamen, uti vobis  
 cant, appellativo, ut robur aliquod significet; Nihilominus censem nonnulli, Athenas ab hoc ἡρών nomen  
 suum habere, quod nos quidem nequaquam impugnabimus, cum arci ejus munitissimae haud male conve-  
 nire videatur, quam Cecrops de suo nomine Cecropi-  
 am appellasse, civesque suos, ut & priores hujus regio-  
 nis incolas Leleges, in XII. vicos s. parvas civitates di-  
 stribuisse fertur, antea sparsimi, prout cuique placebat,  
 habitantes; & inde forsitan Cecrops, Κέκρης, plani-  
 tiem littoralem (Gen. 13. 10) disternans, nominatus  
 fuit. Cæterum regnum ejus plurimis seditionum tur-  
 bis fluctuavit, quæ statim post ipsius mortem cœpere.  
 Unicum nempe filium habuit, tresque innuptas gnatæ:  
 Illo vero (Erisyhton ei nomen erat,) ante ipsum mor-  
 tuo, Cranaus quidam opibus & potentia reliquis Athe-  
 niensibus præstans, neglectis puellis, regnum invasit,  
 sed ab Amphityone, Hellenis, uti ferunt, fratre, Joni-  
 caque, ut è nomine patet, stirpe oriundo, paulo post  
 eo per vim Ipoliatus, verum & hic quoque ab Erich-  
 thonio oppressus est, quem ego Erichthonis filium,  
 & ab amitis suis clam educatum tuisse, conjicio. Hunc  
 denuo Pandion, Itoni, ut arbitror filius, & Amphity-  
 onis Nepos, exceptit. Isto vero defuncto, Erechtheus,  
 Erichthonii filius aut nepos, vel ut alii volunt Æ-  
 gyptius, Atheniensibus tempore famis annonam adve-  
 hens, hujus beneficii gratia rex creatus, habenas im-  
 perii satis diu retinuit, illas tamen ad ultimum, ab E-  
 leusiniis & Thracibus oppugnatus, una cum vita amisit,  
 uti alibi pluribus docebimus.

Solen-

(q) Solenne quidem est Græcis, singulis, aut plerisque certe urbibus, conditores cognomines adsignare; Trœzenii tamen primum apud ipsos Orum regnasse perhibent, quem Ægyptium fuisse, vel nudum nomen, ipso Pausania teste, satis evincit: Megarenses quoque Care Phoronei filio gloriati sunt, & post eum demum Lelegem ex Ægypto venisse, autumantur, à quo indigenæ Leleges dicti fuerint, quod tamen fallum esse, à superioribus patet. Valeant itaque, tum hic, tum quoque Trœzen & Megareus, quibus haec urbes sua se nomina debere putabant, quæ à Τρέζενοι habitatio, & Μεγαρεύς, rapido fonte, rectius derivantur: Eademque ratione Attica & Attœa non ab Heroe Attœo, aut à Nympha Attide, sed ab αἰτνη, littoris ora, ut erat, denominata fuit.

### § XVII.

Non solum vero Ægyptii, aut Anacæi, nova in Græcia regna condiderunt, sed & alia Phœniciorum turmæ, quin integræ quoque gentes, metu Israelitarum è Palestina quoquo versus diffugientes, eorum vestigia presserunt. Jam semel lectorem harum rerum curiosum ad Bochartum remisi, nec sane ea audacia sum, ut viri hujus, immortaliter de his studiis, deque Geographia antiqua meriti, scrinia, clanculum compilare sustineam; ingenue potius profiteor, me omnia, quæ de Phœnicum coloniis, in Græciam deductis, in medium allatus sum, ab eo mutuo sumfisse. Igitur ut insulas taceam, quarum (r) plurimas Phœnices insedere, Cadmus quoque Cadmonæorum gentem, ad montem olim Hermonem in Palestina habitantem, (unde etiam ejus uxor Harmonia dicitur,) secum trahens,

Bœotiam

Boeotiam invasit, & Hyantibus pulsis, Aonibusq; op-  
 pressis, arcem primum Cadmeam in ea extruxit, cui  
 postea urbs etiam Thebarum accrevit, æque ac The-  
 bez in Palæstina (Jud. 9.50.) à ον coeno nomen ha-  
 bens, quo nempe secundum Dicæarchum hyeme tere-  
 oppleri solebat. Fingitur autem Cadmus serpentige-  
 nas adjutores habuisse, quoniam ipse cum suis ad He-  
 væos pertinuit, à ον serpente, ex mente Hebræorum,  
 & propterea quidem appellatos, quod serpentum in-  
 star in cavernis domicilia sua habuerint. Reliqua quæ  
 de literis ex Phoenicia in Græciam allatis, & de semen-  
 te dentium anguineorum ab ipso facta, aliquo modo  
 hoc spectare videntur, brevitatis studio prætermitto;  
 nec illam quoq; per obscuram quæstionem tango aut  
 expedio, utrum hic Cadmus in Thracia ad montem  
 Pangæum opulentas auri venas recluserit, & in Atri-  
 ca centum urbes condiderit, an aliis potius Cadmo-  
 næis & Cananæis hoc adscribendum sit, & quid horum  
 propius ad veritatem accedit; Hoc tamen non possum  
 plane silentio præterire, Cadmum tandem cum sua  
 Harmonia, Thebis pulsum, in Illyrium se contulisse,  
 ibiq; dici in serpentes commutatos, quod tamen Bo-  
 chartus ita, & satis quidem ingeniose, exponit, duos  
 lapideos angues, genus eorum Hevæum indicantes, in  
 eorum memoriam, ab incolis eorum locorum inter-  
 Drilonem & Naronem amnes, quos Encheleas voca-  
 bant, erectos fuisse. Ut ut autem hæc sunt, certum  
 est regnum quoque Thebanum, æque ac Atheniense,  
 continuis fere dissensionibus laborasse, Cadmiq; pro-  
 geniem saepe throno excidisse, saepe quoque in illum-

re-

restitutam fuisse, quod in sequentibus dilucidare co-  
nabimur.

(r) e. g. Theram, quam Membriarus s. Membriareus (שָׁרַבְתָּא) filius Poecili (Phichol), nec non Tha-  
sum, quam Thasus Cadmi frater occupasse traditur:  
Porro Aristaeus Cadmi gener Ceam, & ejusdem  
nepos Bacchus Naxum, incoluisse feruntur; quam  
qvam huic forte nihil in Græcia negotii fuerit, Regi  
videlicet Mesopotamiæ, qvem Scriptura (Jud. 3, 8) Cusanein, Chaldaeorum vero monumenta Ezechio-  
um צְדָקָה nominant, unde facili & nota contra-  
ctione Græcorum Ezechus & Evius, itemq[ue] Bacchus,  
confieri potuit; videtur autem ille pro Cadmi nepo-  
te habitus, non solum, qvia paulo post ejus tempora  
vixit, sed etiam qvia צְדָקָה, i. e. Orientalis fuit; sed  
hæc obiter. Interim hoc fere oblitus essem, Arabas  
etiam teste Strabone cum Cadmo, (vel potius cum  
Danao & Cecrope,) in Græciam traxecisse, Euboe-  
amq[ue] habitandam accepisse, ubi postea Abantes di-  
xi sunt.

### §. XLIX.

Sic itaq[ue] extranei isti, Anacæi, Ægyptii, & Phœnices,  
toti fere Græciæ dominabantur, & opes eorum deo  
confirmatae videbantur esse, ut nulla ratione convelli  
possent. Deo tamen omnipotenti aliter visum est,  
omniaque ista regna, uno tempore, unoque fortunæ  
impetu prostrata atque pessum data fuere. Ipsi ave-  
ro necessitas postulare viderur, ut de hac magna re-  
rum Græcarum conversione accurate cogitateque  
scribamus. Tantulum igitur ferunt Mæoniæ in Asia  
Minori regem, à Trojanorum s. Phrygum rege bello

D

la-

lacesitum, eique imparem, cum magna suorum manu, nec minoribus divitiis, in Græciam transiisse; ejusque filium Pelopem tota deinceps Peloponneso potitum, eam non novis modo colonis replevisse, sed ei quoque suum nomen imposuisse. Hæc summam exposita, uberius tractari merentur. Nimirum Tantalus illorum Græcorum Rex fuit, qui de stirpe Elisæ in Asia Minor adhuc restabant, & Æolus nomine ut plurimum utebantur, quod tamen non ab θύη turbine, quo disiecti fuerint, sed ab ipso auctore protectum fuisse statuo; neque inferior, eos quoq; interdum Jones s. Mæonios, ab avo majori Javane dictos fuisse. Troes contra ii fuere, quos Strabo postea Treires nominat (s) & inter Thraces numerat, quorum soboles, aut saltim nominis ipsorum hæredes, Treviri nostri esse videntur. Illi autem magnam tunc potentiam naæti, totam omnino minorem Asiam occupare nitebantur, quod & Eulebius de Thracibus exprefse affirmat. Coactus itaque fuit Tantalus, invitus licet, illis loco, patria, urbe, domoque sua cedere, superatoq; Hellesponto alias sibi sedes in Europa quærere; Et certe eas ex voto in Thessalia invenit, nisi opinione nostra plane fallimur. Hoc enim ipsum nomen hujus regionis evincere videtur; quæ sane non minus à Tantalo, vel Tattalo, (N. suavioris tantum soni causa inserto, ut ita nostrum forte Thassilo fuerit,) Thettalia, s. Thessalia appellari potuit, ac Peloponnesusā filio ejus Pelope. Accedit quod omnes Æolici reguli, qui cum Pelope irruptionem in Peloponnesum fecerunt, eamq; perdomuerunt, ex hâc provincia orti feruntur, cur itaq;

itaq̄ solum Pelopem excluderemus , qui eorum Prin-  
ceps, summusque Imperator fuit? Nec obstat, quod  
Tantalus, ex mente Poetarum, Jove, illi vero Aēolo  
prognati sint; jam enim Pausanias observavit, istum  
quoque Aēolum Jovem & Neptunum vocari, adeoque  
non dubium est, Tantulum, non Cretici istius Jovis, de  
quo supra egimus, sed hujus Aēolici filium, & quidem  
natu maximum fuisse, si modo verum est, quod Græ-  
ci perhibent, Aēolum quendam tot natorum, natarum,  
que patrem existisse.

- (s) De Troib⁹ jam antiqui inter se controversiam habue-  
runt, an illi ad Græcos, an vero ad Barbaros perti-  
nuerint. Nonnulli prius haud veriti sunt affirmare,  
ea potissimum ratione permoti, qvod pleraque Re-  
gum & Heroum Troicorum nomina, Græca esse de-  
prehendantur; quasi vero Homer⁹, aliquo ejus  
notæ homines, illa non potuerint ex suo ingenio  
confingere, aut in hanc Græcam formam commutare.  
Multo sane probabilius est, eos non secus ac  
Phrygas univerf⁹, (qvorum nempe minima pars  
erant,) Threicia, seu qvod idem fere est, Celtica ori-  
ginis fuisse, idq⁹ non solum voces nonnullæ, qvæ  
de ipsorum lingua restant, (e.g. Βεκνος, Wecke /  
βελτη, Welt / Κικλη, Kücklein / Συ-  
γατης Tochter / &c.) sed ipsum qvoq⁹ no-  
men Phrygum, Germanico Grezen s. Gringen/ uti ma-  
iores olim nostri in hac inferiori Saxonia illud pro-  
nunciarunt, non male conveniens, aliquo modo  
indicare videtur, & ob hanc forsitan nominis con-  
venientiam Franci olim suum genus ab his Phrygi-  
bus deduxerunt: Adde, qvod Ascanios qvoq⁹

(qvos Germanis annumerandos nemo facile in dubium vocabit,) has qvondam oras tenuisse, regio, lacus, flumen, sinus, insulæque ab illis denominatae latis superqve demonstrant, nec ipsi Græci, eos inter Trojanorum auxiliatores recententes, id negare possunt; Quid? qvod totum olim hoc Aliae Minoris latus, in septentrionem vergens, Alcenazi posterorum proprium, & ab illis ipse qvoqve Pontus Euxinus antea Axenos appellatus fuit. Maeones tamen s. Maonii neutiqvam cum Lydis commiscendi sunt, qvamvis hi postea illorum sedes occuparint. Illorum potius reliquæ, teste Strabone Myfi fuerunt, qvi eodem hoc Strabone attestante multa cum Thracibus Asiaticis de Bithynia, & vario qvidem Marte, bella gesserunt, qvorum unum Homerius forte in sua Batracho-Myo. Machia ludibundo stylo descriptis; Mysios, levissima & obvia sane mutatione, in μυες, mures, Thracas vero, in  
 Βατραχης, ranas, convertens, qvæ nostra sententia eo minus à veritate abhorrire videtur, qvo majorem ejus speciem habet; siqvidem in hâc provincia, non Lacus solum, ad quem præliati finguntur, (Lacus nempe Alcanius,) sed Mons quoq; Olympus reperitur, ex qvo Dii ranarum male rem gerentium improsperam sortem miserati, illis subsidia misisse feruntur, Cancros puta, qvos sive qvis de Astacenis, sinus Astaceni accolis, seu de Cercinis vel Cercitis, Strabonis qvidem aeo ad Pontum Euxinum, Homeri vero tempore forte adhuc in vicinia Montis Olympi suas sedes habentibus, capere & intelligere velit, per me licet, cum uterque populus απο των ασακων, και καρκινων, id est ab astacis & cancris nomen habuisse videatur.

En

En tibi benevole lector Historicam fabulæ hujus explicationem, ad quam faciendam nuper Celeb. Dn. Hardt, omnes doctos eleganti sponsione provocavit: Novi quidem, illam ei non satisfacere, adeoque meliorem ab eo exspecto: Interim tamen vix arbitror fieri posse, ut quis accuratiorem commissecatur; Omnia vero murium & ranarum nomina in urbes convertere, hoc ego meas vires longe superare fateor, nec sane vacuas horas, qvarum mihi perpaucas concatenati labores relinquent, huic adeo intricato & diffcili, forte tamen supervacaneo operi, impendere vellem, etiamsi eo, non unum, sed decem, imo plura argentea pocula, lucrari possem.

## §. XIX.

Sed ut ut est, plurimos Æolici generis Principes cum Pelope in Peloponnesum intrasse constat, qui veteres hujus Peninsulæ reges nullo negotio devictos, partim interemerunt, partim vero ad iniquas pacis conditio-  
nes adegerunt. Cæterum ante quam porro ire perga-  
mus, non inutile erit, paucis modo ostendere verbis, in  
quo statu res Græcorum sub adventum Pelopis fue-  
rint. Quod igitur ad Argivos attinet, iis tunc duo fra-  
tres, Triopæ s. Proiti I. Filii, Proitus II. & Agenor I.  
Acrisius II. prærant, qui ob similitudinem nominis  
cum Acrisio superiori seu Danao vulgo confundi, adeoq;  
ei Danae filia & Perseus nepos adscribi solet, quod ta-  
men falsum esse, ut alia raceam, vel hoc uno argumen-  
to probari potest, quod Perseus tempore Fauchi vi-  
xisse, eumque acie superasse narratur. Accedit, quod  
ea quæ Græci de Persei novo regno Mycenis instituto  
memorant, nullo modo cum eo potentatu confinere.

possunt, quem eodem tempore, à Pelope in Græcia  
 fundatum, affirmant, & hæc ratio Eusebium quoq[ue] im-  
 pulisse videtur, ut Perseum in numero Argivorum  
 Regum plane præterierit, & Acrisio statim Sthenelum  
 subjunxerit. Sed ut ē diverticulo hoc in viam redea-  
 mus, Fratres isti de Regno Argivorum magnum cer-  
 tamen habuerant, minorque Acrisius majorem Proe-  
 tum regia sede expulerat, qui Tirynthen tamen aliaque  
 minora oppida retinens, bellum ei facere non inter-  
 mittebat. Hic igitur ut acceptam injuriam ulciscere-  
 tur, fœdus cum Pelope iniisse, eumque in Peloponne-  
 sum invitasse videtur, Acrisium vero existimo rebus  
 suis nimium fidem, ei cum exercitu in Thessaliā  
 usque obviam processisse, ibique ad urbem Larissam  
 à Pelope cæsum; Pelopemque tunc cum suis nullo re-  
 sistente Peloponnesum ingressum, Proeto quidem Re-  
 gnum Argivorum restituisse, ita tamen, ut Hellenum  
 s. Æolum Principibus v. g. Bianri & Melampo, filias su-  
 as nuptum daret, iisque duas sui regni portiones con-  
 cederet, quod eum admodum invitum ac recusantem  
 fecisse, & inde non solum cognomen Megapenthis,  
 propter magnum mœrem, seramque pœnitentiam,  
 sed etiam Anaxagoræ, propter habitationem in foro,  
 generis sibi arcem forte sumentibus, accepisse conji-  
 cio. Acrisius autem nonnullos quoque filios relique-  
 rat, Sthenelum, Electryonem, & Alceum, qui tamen du-  
 etis Pelopis filiabus, in ejus gratiam recepti, parva-  
 rumque urbium, Mycenes, Mideæ, & Tirynthis reges  
 facti sunt. Nec minus Lamedon Sicyonis rex filiam  
 suam Sicyoni vel Sisypho novo Corinthiorum regi de-  
 spon-

spondere, Aphareus vero Messeniæ Princeps, Neleum itidem Æolidam in communionem imperii sui admittere, coactus est; Ipse Pelops, Oenomaum Pisæ in Elide Regem, frustra se ipsi opponentem, ē medio sustulit, hacq; urbe in primis delectatus, eam sibi sedem elegit, cæteris tamen (t) regulis, quibus potiores Peloponnesi urbes dispergitus fuerat, ipsum pro summo suo Domino habentibus, ejusque imperata obedienti animo facientibus.

(t) Tabulas ego quidem de istis, aliisque Græcia Regibus, confeci Genealogicas, indefesso labore ex optimis Autoribus collectas, sed penuria temporis, spatiq; angustia, eas nunc vulgare, inque lucem edere prohibet; non despero tamen, si Deus modo vitam, & paulo liberalius otium concederit, hujus me aliquando voti compotem futurum; non enim diffiteor, me hisce studiis jam inde à pueritia valde deditum fuisse, eaque adhuc in maximo pretio habere.

### §. XX.

Eodem vero temporis intervallo, quo Pelops res totius Peloponnesi, ad nutum ejus voluntatemque conversas, summa cura atque industria ordinabat, magnam quoque Regna Atheniensium & Thebanorum, passæ sunt mutationem, quam sane nullo modo dissimilare, tacitusque præterire possum. Regnum autem Atheniense, ut inde ordiamur, tunc Erechtheus obtinebat, eumque, uti jam dixi, Eleusinii, & Thraçes eorum federati, imo, quod Xenophon addit, incolæ totius vicinæ continentis, duce Eumolpo, bello adorierunt.

bantur, ipsoque rege in acie cælo, Jon secundum Co-  
nonem ei successit, à quo Athenenses Jones postea  
denominati, cuius etiam monumentum adhuc Pau-  
sanias ævo in Attica extitit. Non comparet quidem  
ille in Catalogo vulgari Regum Atheniensium, credibi-  
le tamen est, eum illum ipsum Cecropem II. esse, qui  
statim post Erechtheum ponitur, eoque forsan nomi-  
ne à grata posteritate ornatus fuit, quod illius instar  
primi conditoris, hoc regnum denuo quasi instaura-  
vit, & in integrum restituit. Filium vero & successo-  
rem dicitur habuisse Pandionem II. בָּנֵי אֶגְύ-  
ptiorum forte & Phœnicum reliquis lingua suâ ita vo-  
catum, qui contra Erechthidæ dicebantur, & huic regi  
multum negotii facessabant, adeo ut tandem Athenis  
pulsus Megaram se recipere cogeretur; ubi naturæ  
concessit; Αἴγαιον; fasces imperii reliquit, qui tamen  
urum filius ejus naturalis, an vero adoptivus tantum  
fuerit, uti Plutarchus censet, incertum est. Ille quidem  
Athenas recuperavit, orbum tamen se, ab inimicis suis  
Erechthidis, quorum tunc Princeps Pallas erat, (à quo  
etiam Pallantidæ nominabantur,) contemni animad-  
vertens, ut ipsis vicissim ægre aliquid faceret, inclitum  
illum Heroem Theseum, Pelopis nepotem, adoptavit,  
ejusque ope adverarios suos plane ad incitas rededit.  
Quæ vero Thesei fata fuerint, alio loco memorabi-  
mus. Jam enim nobis ad Thebanos progrediendum  
est, apud quos isto tempore Lajus, Labdaci filius,  
Cadmi pronepos, puer adhuc impubis, regnabat; hunc  
itaq; Amphion. (u) Pelopis sororem Nioben in matrimo-  
nio habens, impugnavit, illumq; Lyco tute ejustruci-  
dato,

dato, solum vertere coegit, ipse vero ejus loco regale  
solum conscendit, urbemque Cadmeæ arcis subjacen-  
tem, quæ tunc primum nomen Thebarum accepisse  
fertur, firmissimis moenibus cinxit. Sic igitur & hic  
Pelopis fortuna prævaluit, adeoque, ut paulo ante mo-  
nui, non dubium est, quin & reliqua omnia Ægyptio-  
rum atq[ue] Phoenicum regna, Græciæ continentis inclu-  
sa finibus, calamitosa illa tempestate perculsa procubu-  
erint, iis ramentorto exceptis, sub quorum potestate  
insulæ erant, quandoquidem Æoles s[ic!] Hellenes tunc  
temporis altum mare nondum tentasse videntur.

(4) Amphionem quidem hunc vulgo pro Jovis, aut Epopei Siconiorum Regis filio habent, ego vero Pausaniam potissimum credo, qui eum Hilasio genitum, Orchomenumque, in signem illam Bœotia civitatem, Thebarum æmulam, patriam habuisse resert. Ca-  
tera quæ de Tragico liberorum, ipsiusque & fratri sui Zethi, interitu narrantur, Poetis merito condonamus, conjecturam tamen inde capimus, horrendam forte pestis domum ejus evastasse. Eo vero sine mascula prole defuncto, Thebani ad antiquum suum Dominum respexerunt, Lajumque ex Illyrio revoca-  
gunt.

### §. XXL

Verum & hæc cupido eos non multo post incessit  
navemque Argo, ab Νέα longitudine dictam, in  
Thessalia, sub Monte Pelio ædificarunt, eique dele-  
tos heroas, florem Grajæ juventutis, imposuerunt,  
quorum sane Hyginus longum atque prolixum catalo-  
gum contexit, interque eos Hippalcum quoque five-

E

Hip-

Hippalmum Pelopis filium computat; Quippe navis ista non erat mercimoniorum gratia adornata, ut clericus fuscatur, sed speculatoria potius, quæ omnes portus, omniaque litora Asiae, in Ponto maxime Euxino, perscutaretur, gentium ibi degentium mores viresque cognosceret, & ut ita dicam majori classi mox secuturæ viam præpararet. Nondum enim Pelops amissionem patriæ suæ antiquæ concoquere, nec æquo poterat animo perpeti, eam Trojanis servire, præsteritum cum ipse tantam in Europa potentiam nactus esset: Ipsa vero ei sana ratio suadere videbatur, tantum, tamque arduum negotium, non coeco imperu, sed maturo consilio aggredi, ne quid temere inconsiderateque faceret, culpamque committeret, quam nulla postea arte corrigere valeret: Igitur hanc navem emisit, quæ ipsum, quantum posset, de rebus Asiae certiore faceret, priusquam ei bellum moliretur; Et certe Argonautas exscensu pluribus locis facto, ferro cum indigenis concertasse legimus, non solum in vicinia Trojæ, (quam tamen ab iis aut eorum comite Hercule Thebano, captam atque direptam, falsissimum, & simul absurdum est,) sed etiam in Bithynia, & alibi, donec tandem in Colchiden pervenerunt, aureumque vellus (w) ex ea secum regione abstulerunt, cuius tamen fraude magis & astu Medæ, quam vi veraque virtute potiti sunt; nec sane hæc præcipua causa tam longi itineris erat, sed multo nobiliorem pretiosioremque sibi proposuerant scopum, salutem nempe & securitatem Europæ, nec non eorum liberationem Græcorum, qui in Asia adhuc duro barbarorum jugo tantum non opprimebantur.

Quid

(w) quid hoc proprie rei fuerit, incognitum mihi adhuc est, nec diversas interpretum sententias consarcinare placet, eoque minus, quod de Poeta quoq; Orpheo, qui hanc expeditionem versibus complexus dicitur, nihil certi habemus, quando ille vixerit, & an non plane conficta & supposita omnia sint, quæ sub ejus nomine circumferuntur. Aristoteles sane, Cicerone teste, Cercopem quandam Pythagoræ esse clam hoc criminis insimulavit: ali vero Orpheum juniores, Pisistrato Atheniensium Tyranno æqualem, eorum autorem suisse statuunt.

## §. XXII.

Hæc autem optime cogitata pessime ceciderunt. Quod enim fuit hujus pretium cursus? aurea pellis: immo aurea illa pellis, de qua postea Principes Græciæ inter se altercati sunt, & quæ, si vera est fabula, familia Pelopis perniciofissima fuit. Nos quidem animadvertimus, statim post hanc Argonautarum expeditionem, intestinas Græciæ turbas, quæ aliquantum conquiverrant, de integro quasi coepisse, & majora fere quam antea incrementa habuisse. Pelops nempe interea vitam cum morte commutarat, nec paucos post se utriusq; sexus liberos reliquerat, inque his Hippalcum jam dictum, qui sedem suam in Boeoria constituisse videatur, pater nempe Penelei, Boeotorum Bello Trojano ductoris; porro Alcathoum Megaræ, & Pittheum Troezenes Regem, Thesei avum, aut potius patrem: nec non Atreum & Thyestem, horrendis inter se celeribus de paterno Imperio contendentes, ut alias obscuriores, numerosamque filiarum turbam, potioribus totius Græciæ Principibus nuptarum, silentio

E a præ

præteream; illi itaque Pelopis liberi, de Principatu inter se non consentientes, reliquis quoque facultatem dabant, antiquas suas inimicitias rursus exercendi, ita ut belli vulnera, quæ vix dum consanuisse videbantur, plerisque in locis recruduerint. Et primum quidem bellum (x) cum Taphiis fuit, insulas Maris Jonii incolentibus, quos ipsi Græci ex Phoenicibus ortos, latrociniisque infames fuisse commemorant, unde Bochartus eorum nomen, αἴων rapiendo, per aphæresin deductum putat; dicti etiam sunt Teleboæ, quia hi prædones τηλε βοας αγειν boves procul abigere solebant. Illi autem irruptione in Peloponnesum facta, filios Eletryonis, ipsis forte obviam venientes, omnes, unotantum Lycymnio excepto, trucidarant, quod ulturus Amphitryon, Alcei filius, eos acie superatos sub jugum misisse, regemque eorum Pterelam sua manu obtruncasse fertur. Idem tamen patruum locerumque suum Eletryonem imprudens atque invitus occidit, eaque propter cum conjuge sua Alcumena Peloponneso excedere, Thebasque demigrare coactus fuit.

(x) ad hæc quoque tempora bellum illud commode videatur referri posse, quod Lapithæ cum Centauris in Thessalia gessisse dicuntur, si modo veri aliquid fabulis istis nimium monstrous atque infictis subest. Strabo tradit Athamanes à Lapithis in Oetam compullos, ad Pindum se postea, eosque montes, quos suo adhuc tempore in confiniis Macedoniæ & Epiri obtinebant, recepisse, priscasque suas in Thessalia sedes plane dereliquerisse: forsitan illiā Poetis Centauri vocati sunt, quod nomen Clericus exponit, כנוריו — infidantes, quia omnia vicina loca subitis incursionibus infesta reddiderint. Theba-

## §. XXIII.

Thebanorum vero res paulo ante in summo fuerant periculo, illudque vix acne vix quidem evalerant. Lajo enim Rege ipsorum in itinere Delphico cæso, filia ejus Sphinx ad regnum adspirans, fratres suos e medio sustulerat, tantaque scelera commiserat, ut Thebani, crudelitatem ejus non amplius ferentes, Oedipum, Polybi Corinthiorum regis filium, cum copis suis contra eam evocare cogerentur, qui & illam ē latebris suis in Monte Phicio erutam meritis pœnis affecit, præmiumque præstite operæ Jocastam, Laji viduam, una cum regno accepit; hæc autem quia magno jam natuerat, vulgo dictum est, eum cum matre sua matrimonium contraxisse: posteri vero illam phrasin non rete intellexerunt, eique ceu fundamento, omnes illas Tragicas ampullas superstruxerunt, quas non opus erit hic in medium proferre, cum alioquin notissimæ sint. Pausanias tamen, autor in primis fide dignus, cui & pleraque debemus, quæ de Oedipo haec tenus attulimus, negat utique & pernegat, eum ex Jocasta liberos suscepisse, sed ex altera potius uxore Euryganea, idq; multis probatum it argumentis. Idem Polynicen vivente adhuc atque imperante patre Oedipo Thebis dilcessisse. & post ejus demum mortem à fratre majori Eteocle accersitum, Argis, quo configerat, revertisse, tradit, ut ita Oedipus, ejus quidem sententia, ferali illo fratrum nefariorum diffidio plane eximendus sit. Et profecto ita esse videtur, ut Oedipus, cum ætate jam proiectus esset, lumina oculorum amiserit, filiusque tunc junior, præposta ambitione abraptus, regno inhiarit, & post

E 3

ejus

ejus obitum, socii sui Adrasti Argivorum regis opibus atque praesidio fretus, patriæ internecinum illud bellum intulerit, quod non fratri solum, sed & ipsi, omnibusque ipsius adjutoribus, si unum Adraustum excipias, exitio fuit: E septem enim regibus (y) qui Thebas oppugnarant, hic unus equi sui beneficio vitam retinuit, reliqui sex cum maxima exercitus parte perierunt: Thebani contra insignem victoriam reportarunt, & filio Eteoclis Laodamanti regnum conservarunt, quod tamen ob ejus instantiam fidei Creontis Jocasta fratri commendatum fuit. Polynices vero filium etiam Thersandrum procrearat, qui postquam adolevit, nihil prius neque antiquius habuit, quam patris sui necem ulcisci, assumptis itaq; reliquorum etiam sex Regum filiis, quos Epigonus vocant, eadem vindictæ cupiditate flagrantibus, Thebas denuo in festo agmine petiit, & Laodamantem acie fusum in exilium ejicit, quem tamen plerique civium secuti feruntur.

(y) Nomina Regum & Epigonorum alibi quereras, hic potius notamus, Thersandri quoque familiam crebris tandem seditionibus in exilium pulsam fuisse, eiique Penelene nepotes in regno successisse, quorum ultimus Xanthus fuit; post cujus obitum forma regiminis mutata, posterisque eorum civium, qui cum Laodamante abiebant, in urbem redierunt.

#### §. XXIV.

Interim decantatus ille Hercules Thebis natus erat, quem proprie Alceum vocatum fuisse Diodorus refert, patrem quippe Amphytrionem, avumque Alceum habuerat, clarissima veterum Inachidarum f. Anaceorum stirpe oriundus, quos & facinoribus suis amulatus

tus est, iisqe splendidum illud Herculis cognomen meruit, quod supra jam exposuimus: Cæterum historia ejus è multis quidem veris falsisque composita est, lectori tamen emunta naris, & omnes temporis locique circumstantias probe ponderanti, facile subolebit, quid æra lupinis distent. Nos cum brevitati studeamus, potiora tantum ejus facta commemorabimus, eaque in primis, quæ usum aliquem in Historia habent. Igitur ephibus adhuc primum Orchomenios fregit, tributum rigidius à Thebanis exigentes: Hinc aulam Eurysthei frequentavit, Mycenarum regis, cuique patruelis, qui isto tempore non Inachidarum modo familiæ caput erat, sed & apud Pelopidas, matris suæ gratia, (Pelopis filiæ) plurimum valebat. Huic quidem multa officia, vel servitia potius præstítisse fertur, postea tamen gravissime ab eo dissensit, eumque Arcadum ope, ipsi adhuc propter aviam suam faventium, (quæ nempe Guñei cujusdam, Pheneæ in Arcadia principis, filia fuerat,) throno deturbare constituit; Quod cum non succederet, alias infirmiores reges, e. g. Hippocoont, Cartanorum, Neleum Messeniorum, & Augean Eleorum, bello aggressus, omnique ratione magnas sibi in Peloponneso opes comparare connixus est. Cum vero se incassum niti animadverteret, cessit tandem fortunæ, seque cum Arcadibus suis in Ætoliam recepit; & cum ibi quoque propter Eurysthei potentiam (teste Diodoro) non auderet consistere, ad Dores tandem se contulit, & apud eos mortem oppetiit; multorum parens liborum, qui ab ipso Heraclidæ dicti, antiquas Majorum suorum in Peloponneso sedes armis saepe numero repetie-

ierunt, jusq[ue] suum ad ultimum contra Pelopidas ob-  
tinuerunt. (z)

- (z) Multi quidem hoc ævo Heroes vixerunt, videlicet Jas-  
son, Bellerophon, Castor & Pollux, aliquæ plures,  
qvorum tamen res gestas ordine enarrare, cum ma-  
gnitudo voluminis, tum qvoq[ue] festinatio prohibet.  
Illum autem, & metacente, notumjam atq[ue] pervul-  
gatum est, Argonautarum ducem fuisse ; istum ve-  
ro Lyciorum , devicta Chimæra nobilem , cuius  
monstri satis verisimilem Bochartus Clericus atq[ue]  
Penaveræus interpretationem suppeditant, omnes in  
eo contentientes, Solymos significari s. Pisidas, qvos  
fuderit , tres imperatores s. Deos , Arzalum, (hos  
dum,) Aryum (leonem,) & Throsibium (Draco-  
nem,) habentes : qvod denique ad hos attinet, ma-  
gnis quidem in laudibus tota fuerunt Græcia, ob exi-  
mium corporis robur , sangvinisq[ue] prosapiam **Ava-**  
**res** vulgo dicti , palæstritæ tamen verius quam he-  
roes.

### §. XXV.

Sodalem vero Athenienses Herculi comitemque ad-  
junxerunt Theseum suum, fortissimum, magniq[ue]; con-  
filiij virum, qui alter Athenarum conditor eo majori ju-  
re appellari potest, quo certius est, eum cives suos, è XII.  
illis oppidis, quæ Cecropem posuisse diximus , in unam  
hanc urbem congregasse. Cum vero Plutarchus vitam  
eius satis diligenter conscriperit, poterimus nos operæ  
parcere, adeoq[ue] nonnulla modo de gestis eius referemus,  
quæ nobis omnium maxime memoratu digna videbun-  
tur. Apparet enim multa quoq[ue] ei incredibilia , à san-  
que ratione aliena, addita atq[ue] afficta fuisse: Et hujus pro-  
cul dubio commatis est istud bellum , quod cum Ama-  
zoni-

zonibus, in Ponto primum, postea quoque in Attica  
gesisse memoratur, cuius erroris ansam sine dubio  
fluvius Thermodon præbuit, Campos quidem Amazo-  
nios in Asia interfluens, sed & exiguum Bœotiarivum  
cognominem habens, ad quem Theseus Thraces forte  
fudit, tum temporis in Græcia pasim oberrantes, aut  
in signem illam de Thebanis, siveoque eorum Rege  
Creonte, victoriam retulit, qua incompositis Argivo-  
rum manibus parentasse fertur. De cætero facile indu-  
cor ut credam, eum bellum id quod Athenieses cum  
Minœ II. primi nepote, Cretensium Rege, habebant,  
honestis conditionibus, filiaq; ejus altera Phædra (cum  
prior Ariadne Naxi morbo obiisset,) in matrimonium  
ducta, restinxisse, & postea Pirithoo Lapitharum Regi  
contra Centauros adstississe, mox vero ambos à Rege Mo-  
lissorum Aidoneo captos, & in vincula conjectos fuisse;  
hacque occasione abusum Mnestheum Erechthidam s.  
Ægyptium (1) populo sibi conciliato regnum arripuisse,  
Theseumque, tandem è diuturno carcere reversum, à  
gubernaculis repulisse, atque urbe exclusisse, quo facto  
ille in Scyron insulam concesserit, ibique non multo post  
exul fato suo funetus sit.

- (1) Mnestheus hic bello Trojano interfuisse dicitur, eo vero  
in reditu mortuo, regnum Thesei filius Demophoon  
recepit, quod tamen hujus nepos Thymætes, ob igna-  
viam suam denuo amisit; in ejusque à populo rejecti lo-  
cum Melanthus Nelida, Pyli olim in Messenia Rex, suf-  
fectus est, qui Codrum, ultimum illum & notissimum A-  
theniensium Regem, successorem habuit, quo in Bello  
Doriensi ab hostibus cæso, Archontes perpetui insti-  
tuti fuerunt.

B

Venio

Venio nunc ad bellum Trojanum, eujus fama omnium fere Græcorum literis monumentisque celebrata fuit, quia nempe Græcia tota Barbariæ universæ lento collisa fuit duello, Europæque succubuit Asia; si fabulosis Homeri aliorumque Poetarum narratiunculis fides habenda; si vero Dionis Chrysostomi judicio standum, longe alium Græcisque infastum res hæc sortita fuit eventum. Causa belli Helena, formosa illa Tyn-dari Spartanorum Regis gnata, quam Paris, Priami Regis Trojanorum filius, amore ejus captus, marito Menelao clanculum surripuisse memoratur; Dion autem manibus contra pedibusque, ut ita dicam, omnia facit, quo liensibus suis persuadeat, Paridem aliis Helenæ procis ab ipsa adhuc virgine prælatum fuisse, eamque, nuptiis decenti & legitimo modo consummatis, contentientibus etiam parentibus & fratribus ejus, in Asiam ad suos traduxisse; Menelaum vero & cæteros Græcorum Principes, qui hac uxore exciderant, sola invidia permotos, injustum illud bellum suscepisse, ideoque Deos ipsos pro meliori Trojanorum causa stetisse. Non est nostrum tantas lites componere; præfertim cum ipsi adhuc dubitemus, an Helena hæc, de qua tot viri digladiati, fæmina, & non potius inclita illa Asiæ minoris regio fuerit, quam Hellenes s. Hœoles olim tenuerant, eamque suo de nomine Helleniam, Hœliam, & Iliam, appellarent, cui etiam celeberrimum illud fretum, quod Europam & Asiam dividit, nomen suum debere in confessò est. Et certe in eam ferme ad ductus sum sententiam, sponsam hanc intelligi, quam Pelo-

Pelopidae Trojanis inviderint, eamque majoribus ipso-  
rum olim eruptam, rebus suis in Græcia confirmatis,  
armis recuperare studuerint. Quod vero ad ipsum bellū  
attinet, omnino cum Dione facio, Græcis illud non  
felix sed funestum image fuisse, eosque demum irrito  
incepto abscedere coactos. (2) Rationes enim, quas at-  
fert, non sunt contemnendæ, & quantum ego perspi-  
cio, non possunt non apud æqvum & integrum judi-  
cium fidem atque applausum invenire.

(2) quid ergo de Ænea, ejusque profectione in Italiam fiet,  
qua prima creduntur Romanæ magnitudinis jacta es-  
se fundamenta? viderint hoc alii; ego Bocharto &  
Cluverio assentior, qui ex ipso Homero, Strabone,  
& aliis, firmissimis demonstrarunt argumentis, Æne-  
am nunquam in Italiam venisse, sed in Phrygia poti-  
us remanere debuisse, etiamsi omnia illa, qua de in-  
teritu Trojæ narrantur, cum veritate exacte conve-  
nirent. Verum quæ mea de antiquis Romanorum rebus  
sententia sit, alio fortasse tempore manifestare licebit.

### §. XXVII.

Cum itaque Pelopidarum vires, longo illo, & ad ul-  
timum inutili, imo exitiali ipsis certamine, admodum  
debilitatæ atque fractæ essent, ausi sunt Heraclidæ (Her-  
culis istius Thebani posteri.) qui antea extorres ab solo  
patrio plures Græciæ provincias peragrabant, & nulli-  
bi certam atque stabilem sedem repererant, hi inquam,  
resumta spe, Dorum auxilio, fortunam denuo tentare  
ausi sunt. Dores autem illi iidem fuere, quos sacra scri-  
ptura Dodanum vocat, ab illo nempe minimo natu Ja-  
vanis filio deducendi. Illi enim quamvis Leleges olim,  
ut ante diximus, in Europam emisissent, à quibus etiam,  
ut alios taceamus, Locris suam originem repetebant,  
maxima tamen illorum pars in Asia remanserat, in Do-

res postmodo proprie ita vocatos, & Cares, nec non Lycios & Pamphylios, forte etiam plures populos divisi; ad illos autem non pauci Phoenicum atque Anacæorum se applicuerant, adeoque illis cum Heraclidis quoq; amicitiae & conjunctionis necessitudo intercedebat, quare non mirandum est, eos ipsorum precibus permotos, causam eorum defendendam suscepisse, eorumque auspiciis in Europam transiisse. Primum vero in Thessalia pedem posuisse videntur, quippe cujus certa quædam portio, Histiotis vulgo dicta, olim, lecundum Strabonem, æque ac notus ille ad Oetam Montem traectus, ipsorum nomen (Doris) habebat: inde fines imperii sui paulatim dilatarunt, & ipsam quoq; plus simplici vice invaserunt Peloponnesum, cumq; ipsi pri num consilium non successisset, i per Isthmum irrumperi, alia eam postea aggressi sunt via, fredoque tandem illo quo sinus Corinthiacus Jonio Mari jungitur, ope Ætolorum (3) superato, totam hanc Peninsulam, Jonibus & Æolibus expulsis, Eleisque ac Helotis subjugatis, Arcadibus vero & Achæis in fidem receptis, in ditionem suam redegerunt, multaque in ea rursum de integro regna constituerunt, Argolicum puta, Laconicum, Messenium, Corinthium, Sicyonium & Eleum, quæ tamen omnia non diu floruerunt, sed brevi in res publicas conversa sunt.

(3) Ætolos Strabo tradit ante Heraclidarum redditum in Græcia non fuisse, sed cum iis demum advenisse, vindentur ergo ab ΠΑΝ dicti, quasi advenæ: Arcades Pelasgorum posteri fuere; Achæi vero prisorum forte Danaorum s. Ægyptiorum reliquæ, huncque titulum Pelopis tempore adsumferant, ab ΜΝ frater derivatum; fratres enim se Græcorum vocabant, ut eorum misericordiam captarent, ne ipsos ceu alienigenas

nas & hostes sedibus suis plane exterminarent. Quod enim Græci de Achæo quodam Thessaliam rege, ejusq; filiis Archandro & Architele referunt, qui ductis Danaï filiabus istud nomen in Peloponnesum introducerint, tralatitium, nec minus tamen aperte falsum est, cum Danaus diu ante ipsos vixerit, adeoque filia ejus cum ipsis matrimonio conjungi atque copulari non potuerint. Cæterum si quis hoc nomen potius ab Archivus vel *Aegyptios*, cuius significatio non ignota est, deducere velit, non habebit me adversarium, quippe qui probe cognitum atq; perspectum habeo, literam R. interdum nominibus propriis addi, interdum vero extrudi solere.

## §. XXVIII.

Jones vero & Æoles è Peloponneso caturvatum Athenæ configerunt, ubi cum bello quoq; à Doriensibus premerentur, nec angustum hoc littus omnes caperet, coati sunt, vi & ingratias, novas sibi alibi terrarum sedes quærere. Itaq; insulas primo Maris Ægæi coloniis suis inpleverunt, & Cares, Dorum ut paulo ante indicavi conterraneos & consanguineos ex illis ejecerunt: videtur autem eo tempore opportune accidisse, ut Sesostris, Ægypti totiusq; fere Asiae Monarcha, bellum Trojanis, ipsi parere recusantibus, inferret, eorumq; urbem caperet, atq; vastaret. Non habemus quidem autores, qui istud diserte attestentur, possimus tamen Herodotum, Strabonem & Diodorum, aliquo modo in nostras partes pertrahere. Illi enim tropea & monumenta Ægyptiorum suis adhuc temporibus in hac regione exstisset, & in Ægypto insuper locum atq; montem fuisse tradunt, à capitivis Trojanis cognomifikatos, quos tamen cum Menelao eo venisse falso sibi persuaserunt. Et certe si verum est, quod plerici scriptores retulere, Sesostrin bellum cum

F 3

Thra-

Thracibus Europaeis, Getisq; ad flumen Istrum habitantibus, gessisse, satis appareat Phrygiam quoq; sub ipsius potestate ac dominio fuisse, per quam nempe ei necessario iter faciendum erat, antequam istos invadere posset. (4) An vero Jones & Aëoles, qui tunc in vicinis insulis commorabantur, eum in expugnanda hac prævalida inimicorum suorum Metropoli adjuverint, hoc nos quidem ignoramus, illud autem omni controversia caret, Aëoles postmodo ipsam illam urbem Trojanorum, quæ tunc iterum antiquissimo suonomine Ilium vocabatur, (non ab Ilo rege quodam Phrygum, sed ab Eliſa, qui eam condiderat,) cumq; ea totam devexi litoris oram, ab Hellesponto usq; ad Jonum fines obtinuisse: Jones enim multas quoq; urbes mari adjacentes aut non procul ab eo remotas, in veteri sua patria Mæonia excitarunt, aut saltim instaurarunt; quod cum Dores animadvertisserent, non nullos quoq; suorum, qui alioqui commodam in Græcia non potuerant invenire sedem, in Asiam redire, agnatis que suis opem ferre justerunt: Et hinc factum est, ut Dores omnes, non ex Asia primum in Europam, sed ordine potius inverso ex Europa in Asiam transgressi credentur, idemq; de Jonibus & Aëolibus affirmaretur.

(4) hic quoq; illa Græcorum traditio spectare videtur, Trojam aliquando ab Hercule captam fuisse, quod illi quidem suo adscribebant, cum tamen in Ægyptum potius conveniret. Homerus autem ut Jonum atque Aëolum principibus cum quibus vivebat gratum ficeret, suosq; simul majores Ulyssem atq; Nestorem a quibus nempe, si Oraculo Delphico credendum, genus suum duxit, concelebrare posset, totam hanc narrationem pvertit, & ex una duas nobis, si Diis placet, consecrit expunctiones, brevissima tantum unius regis ærate disjunctiones, merito propterea castigatus à Dione Chrysofto-

mo,

mo. Sed de his aliisq; quæ supersunt Græciæ veteris  
Rebus, non est nunc locus plura dicendi, jam enim spa-  
tium, quod nobis proposueramus decurrimus, adeoque  
finem hic labori nostro imponere cogimur.

## §. XXIX.

Ne tamen Oratorum nostrorum plane obliti videa-  
mur, quorū gratia omnis hæc conscriptio instituta & ad-  
ornata est, dignentur benevoli Lectores pauca quoq; de  
iis cognoscere. Sistimus iterum Dn. Patronis atq; Fauto-  
ribus, nonnullos bona spei, optimæque indolis juvenes,  
quos huic olim Lyceo nostro non ignominia, sed honori  
potius fore confidimus. Illi vero non fortunam Priami &  
nobile illud bellum innumeris interpolatum fabulis, mul-  
to minus ridiculam murium & ranarum concertationē,  
aut Heroas istos, qui ante Agamemnona vixisse dicun-  
tur, de quorum multis tamen jure meritoq; dubitare li-  
cet, an unquam in rerum natura fuerint; sed acta præteri-  
ti anni, in recenti adhuc omnium memoria versantia, &  
de quibus nulla unquā ætas conticelcet; acta togæ sagiq;  
gloriosissima, sibi decantanda, pro suisq; viribus pleno  
ore dilaudanda sumserunt. Et quidem:

- I. AUGUSTUS CHRISTOPH. Blath / Halberstad.  
vicem Hungaricæ gentis dolebit, adhuc in rebellione  
sua perseverantis, & ne nunc quidem post tot accep-  
ptas clades resipiscens;
- II. JOH. GEORG. Aupper / Numburgensis, à partibus  
Papæ stabit, eumq; justissimas causas habuisse, nt Im-  
peratori bellum indiceret, demonstrare conabitur.  
Contra vero
- III. FRIDER. OTTO de Stein dorff / Eqv. Halberst.  
omnes illius rationes accurate & nervose refutabit,  
Papamq; Cælaris patientia nimis abutentem, hujus ri-

xæ autorem fuisse, suocq; sibi (ut ajunt) jumento mas  
lam rem arcessivis declarabit. Omnes vero illi Germanico & prolo declamabunt sermone.


IV. JOH. HENRIC. Luhn/ Elbingeroda Hercynius,  
carmine Latino Heroico Ter faustum Trium Regum  
connubium delineabit, Cœlestis instinctu Veneris sua-  
viter ceptum, ejusq; ductu feliciter consummatum.

V. FRID. WILHELM. Hagen/ Brunsv. de Celsissima  
Electorali dignitate, Serenissimæ Ducum Brunsvicens.  
familiae tandem aliquando plene restituta, læta verba  
& pia vota faciet, stilo iterum Germanico pedestri. At

VI. JOH. HENR. Engel/ Wevelinga-Halberst. latina  
oratione operosissimam Insulæ obſidionem describet.  
Et tandem

VII. HENR. JULIUS Hagen/ Brunsv. Carmine Ger-  
manico, Heroes illós invictissimos, Principem Eu-  
genium, Duce mque Marleburgium, nec non alias,  
qui superiori anno, tot illustrissimis, æternoque  
præconio dignis facinoribus, totam sibi Europam,  
immo universum orbem terrarum obstrinxerunt,  
pro virili sua, nequaquam tamen pro meritis ipsorum,  
summis laudibus ad cœlum efferre, & sempiternæ  
gloriæ tradere sataget.

Quos omnes ut Domini Auditores honorifica sua præ-  
tentia excitare, faventibusq; animis Actui nostro Ora-  
torio interesse velint, etiam atq; etiam eos rogamus,  
idq; nos ab eorum humanitate eo facilius impetratu-  
ros confidimus, cum omnia ita temperata sint, ut  
paucis horis matutinis absolvi posint, atque debeant.







AB:153974



56.

VD17



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



SCIAGRAPHIA  
PRISCAE  
HISTORIAE  
GRÆCÆ,  
AD NORMAM  
SCRIPTURÆ SACRÆ, SA-  
NAEQUE RATIONIS,  
OPTIMORUM AUCTORUM  
DUCTU,  
EX INFINITIS ERRORUM FABULA-  
RUMQUE TENEBRIS,  
IN APERTAM VERITATIS LUCEM,  
REDUCENDÆ,  
ACTUI ORATORIO,  
d. 7. Mart. An. 1709. habendo, Program-  
matis instar præmissa,

A  
CASP. ABEL, R. Sch. Joh. Halberst.

HALBERSTADTI,  
Typis JO. ERASM. HYNITZSCH, REG. BORUSS. Typogr.

15